



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vita Reverendi Patris Martini Stredonij Soc: Jesu**

**Schwertfer, Wenzel**

**Pragæ, 1673**

Caput IV. Ingressus in Societatem Jesu, pro fundamento Vitæ Religiosæ,  
immutabilem animi constantiam arripit ex tribus Principijs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43132**

12 VITÆ R. P. MARTINI STREDONII S. J.

*semper.* Putà uniformiter augmentum virtutis ad arbusculæ speciem in conspectu cælestis Hortulani ducendo, crescendo floribus ac fructu in virtutibus sibi velut agnatis, in innocentia, DEI Timore, prudentiæ senilis demonstratione, studio tenendi corporis intra leges pudicitæ, atque in conatu perpetuo agendi omnia in conspectu DEI; sicut Timoris Divini radix, imò DEUS ipse in basim acceptus, sancto huic furculo aspirabat. Quem ut ampliùs ac tutiùs ab aura vanitatum conservaret, transplantari voluit in Seminarium Sancti Wenceslai Pragæ (quam gratiam plerisque viris insignibus, & in Societate nostra primariis concessam fuisse à Divina Providentia, memini) ubi demum adeo feliciter inflexus fuit, ut Societatem JESU ingredi, DEO que soli vivere, liber à seculo postulare.

C A P U T IV.

Ingressus in Societatem JESU, pro fundamento vitæ Religiosæ, immutabilem animi constantiam arripit ex tribus Principiis.



Admissus & ingressus in Societatem JESU 1608. die 25. Sept: annos natus & emensus 20. ex eo genere Tyro-  
num

num fuit, qui non tam evellere ac destruere, quidquid vitiosum in seculo pullulavit, quam intrahere meliorem succum à felici gleba, virtutibusque potiùs augendis, quam extirpandis vitiis occupari siveverunt. Narrârunt qui vitæ cursum in Martino sedulè observârunt, insenuisse virtutem ipsius in Tyrocinio, talémque semper visum fuisse adultâ ætate, qualis in virtutem inductus, primo Religionis anno comparuit. Constantiam hujusmodi etiam in minutis ex virtute actionibus, adeo æstimavit S. Bernardus, ut rarum valde, magnúmque diceret, qui non semel in minimo quovis remittere notaretur. *Est utique si diligenter attendas (scribit Eugenio) quàm rarus semper extiterit, qui non vel modicè in prosperitate animum relaxaverit, à sui custodia & disciplina. Præferendus ille & magnus est, cui inter prospera saltèm visus indecentior, aut sermo insolentior, aut immoderatio cura vestis vel corporis non irrepfit.*

lib. 2. de  
Confid. c.  
12.

Proprium hoc Elogium, tenacitatem scilicet virtutis, magnis etiam miraculis præferendam sibi comparavit Martinus, ipso in limine Religionis, de quo Pater Andreas Schambogen, vir ut solidè, ità tenerè spiritualis, & ejusdem in munere Provincialis brevì successor, sic ex variis annotavit: Ab ipsis inquit Religiosæ vitæ primordiis emicuit in ipso semper modestia

14 VITÆ R. P. MARTINI STREDONII S. J.

virginalis, matura verborum parcitas, veri re-  
ctique amor sincerus, jugis cum DEO ambu-  
latio, Sanctæ Mortificationis exemplum, opti-  
mum quemq; imitandi solidus ardor, & vultus  
nunquam in diversa mutatus.

Quarum virtutum ac Religiosi moris stu-  
dio, ita incanuit consummatè, ut qui cum Ty-  
ronem, quique senem noverunt, affirmatè lau-  
dent omnes inconcussam ejus constantiam, di-  
cântque illum sibi semper similem, & unum  
eundemque fuisse; atque ab inita perfectionis  
via, inductaque semel optimi Religiosi norma,  
nec latum unguem deflexisse. Legerit haud  
dubiè illud S. Ambrosij ad Episcopum Vercel-  
lensem, vel ab ipso boni spiritûs principio didi-  
cerit: *Assuesce unus esse, ut vita tua quandam pi-  
cturam exprimat, eandem servans imaginem, quam  
exceperat.* Non parvo tamen constitit, hæc  
species & imago virtutis. Neque nata repen-  
te absque manuum labore; sed solidâ in cultu-  
ram intellectûs & voluntatis applicatione. Tria  
sibi statim documenta præfixit Juvenis in Ty-  
rocinio; quibus velut cardinibus totam reli-  
quam vitam gyrare decrevit. Triplicem in-  
quam Tabellam, veluti pensa quotidiana, & pa-  
radigmata vitæ sibi præscripserat. & in una  
quidem primaria legebat: Voluntas DEI. in  
duabus aliis: Sustine & Abstine. Horum usus  
erat,

l. 3. Epist.  
25.

12100 C A P U T V. 15

erat, meminisse imprimis ad quodcunque negotium, quacunque horâ vel momento evocatum Voluntate DEI se citari ad hoc vel illud præfenti tempore peragendum. in quo, si quid adversitatum aut molestiarum intervenisset, debebat id per *Sustine* complanari. Si verò illecebrarum aliquid aut inordinatarum cupiditatum se misceret negotio, per *Abstine* dissipari. Quibus principiis altè animo infixis, sic demum ad hypotheses descendit.

C A P U T V.

Quem modum in diurnis actionibus, servaverit, in surgendo præsertim, Orando & Ministerio Missæ.

**E**Uſiùs nos detinebimus in Tyrocinio, varias ob causas. maxime quòd, ſicut proximè dictum, tale fundamentum jecerit virtutis eo tempore, ut eadem Imago, vitæ reliquæ decurfu viſa & retenta, licèt haud dubiè excellentium colorum adjectione, puta virtutum precio & affectûs intenfione ornata fuerit. Sive quòd eaſdem actiones Religioſus, Sacerdos, Graduatus, privatus & Superior obierit, pro diſtributi temporis in Societate conſuetudine:  
 oib  
 Acce-